

OSTROGOtha DACORVM REX.



Ostrogotha Dacorum & Gothorū rex post Decebalum constitutus, diuturnum & amplissimum regnum obtinuit. Is tantis uirtutibus erat præditus, ut Orientales Gothi se se ab eo Ostrogothas denominarint. quāquam potius eos à loco sic dictos putem, ut alibi ostendemus. Primum illi bellum cum Vandalis, Marcomannis, & Quadiis fuit, hisce propulsatis arma sua in Romanas prouincias conuertit, ec tempore cum Philippi Cæsares rempublicam Romanam administrarent, Anno 245. Cum autem interea Gepidæ Dacorum fines uastarent, Ostrogotha domum rediit, & ad oppidū Galthes eos memorabili prælio superauit. Postea Gothis sub hoc rege in summa tranquillitate uixerunt, atque suos fines latè produxerunt. Ioan. Mag. lib. 6. cap. ii.